Quelle: https://manuscripta.at/?ID=5026
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png">

fructu ī vitā eternā: vt
qui seminat pariter gaudeat et qui
metit. In hoc enim est verbum vnum
quia alius est qui seminat: et alius
est qui metit. Ego misi vos metere
quod vos non laboraistis. Alii laborauerunt: et vos in laboribus eorum intrastis. Ex ciuitate autem illa multi crediderunt in eum samaritanorum propter verbum mulieris testimonium perhibentis: quia dixit mihi omnia quecumque feci. Cum venissent ergo ad illum samaritani rogauerunt eum vt apud eos maneret: et mansit ibi duos dies. Et multo plures crediderunt propter sermonem eius. Et mulieri dicebant: quia non propter tuam loquelam credimus: ipsi enim audiuimus et scimus: quia hic est vere saluator mundi. Post duos autem dies exiit inde: et abiit in galileam. Ipse enim iesus testimonium perhibuit: quia profeta in sua patria honorem non habet. Cum ergo venisset in galileam receperunt eum galilei: cum omnia vidissent quecumque fecerat hierosolimis in die festo. Et ipsi enim venerant ad diem festum. Venit ergo iesus iterum in cana galilee: vbi fecerat aquam vinum. Et erat quidam regulus cuius filius infirmabatur capharnaum. Hic cum audisset quia iesus aduenit a iudea in galileam abiit ad eum: et rogabat eum vt descenderet et sanaret filium eius: incipiebat enim mori. Dixit ergo iesus ad eum: Nisi signa et prodigia videritis non credetis. Dicit ad eum regulus: Domine descende priusquam moriatur filius meus. Dicit ei iesus: Vade filius tuus viuit. Credidit homo sermoni quem dixit ei iesus: et ibat. Iam autem eo descendente sui occurrerunt ei: et nuntiauerunt ei dicentes: quia filius eius viuit. Interrogabat ergo horam ab eis in qua melius habuerit. Et dixerunt ei: quia hri hora septima reliquit eum febris. Cognouit ergo pater quia illa hora erat in qua dixit ei iesus filius tuus viuit: et credidit ipse et domus eius tota. Hoc iterum secundum signum fecit iesus cum venisset a iudea in galileam:

Post hec erat dies festus iudeorum: et ascendit iesus hierosolima. Est autem hierosolimis piscina probatica que cognominatur hebraice bethsaida: quinque porticus habens. In his iacebat multitudo magna languentium cecorum et claudorum aridorum: expectantium aquam motam. Angelus autem domini descendebat secundum tempus in piscinam: et mouebatur aqua. Et qui prius descendisset in piscinam post motum aquae sanus fiebat a quocumque detinebatur infirmitate. Erat autem quidam homo ibi triginta et octo annos habens in infirmitate sua. Hunc cum vidisset iesus iacentem: et cognouisset quia iam multum tempus habet dixit ei: Vis sanus fieri? Respondit ei languidus: Domine: hominem non habeo vt cum turbata fuerit aqua mittat me in piscinam. Dum venio ego alius ante me descendit. Dicit ei iesus: Surge: tolle grabatum tuum et ambula. Et statim sanus factus est homo ille: et sustulit grabatum suum et ambulabat. Erat autem sabbatum in die illo. Dicebant ergo iudei illi qui sanatus fuerat: Sabbatum est non licet tibi tollere grabatum. Respondit eis: Qui me sanum fecit: ille mihi dixit: tolle grabatum tuum et ambula. Interrogauerunt ergo eum: Quis est ille homo: qui dixit tibi: tolle grabatum tuum et ambula. Is autem